



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim**

**Innozenz <III., Papst>**

**Parisiis, 1682**

Archipresbytero & Canonicis basilicae principis Apost.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-20006**

PETRO COLIMBRIENSI  
Episcopo.

Epist. 334.  
La que decellos  
res justè possederat,  
ipsi confirmata.

**S**Acrosancta Romana Ecclesia &c. usque ad verbum inclinati, personam tuam & Colimbriensem Ecclesiam, cui auctore Deo præfessè dignosceris, cum omnibus bonis &c. usque ad verbum suscipimus. Specialiter autem Ecclesias de Covilian. & de terminis ejus ad exemplar bona memoriae C. Papæ prædecessoris nostri, & omnes possessiones laicales quas tam prædecessor tuus quam tu in prædictis villis & ejus terminis acquisisti, sicut ea justè possidetis & quietè tibi & per te præfatae Colimbriensi Ecclesiae auctoritate apostolica confirmamus, & præsentis scripti pagina communimus. Decernimus ergo &c. Datum Laterani VII. Idus Ianuarij.

I. C A P E L L A N O  
& S. Subdiacono, familiaribus nostris,  
apostolica sedis Legatis.

Epist. 335.  
Pallium non  
conceditur nisi  
Metropolita-  
na. Vide supra epist. 325.

**P**ost dies aliquot ex quo à nostra præsentia recessisti, ex relatione quorundam & inspectione libri censualis cameræ nostræ nobis innotuit quod Antibaren. Ecclesia inter suffraganeas Ragusan. metropol. numeretur. Vnde cùm tu fili I. librum illum inspexeris, miramur quod facta tibi copia libri præmissi, nobis non aperuisti expressius veritatem. Quia vero non est nostra intentionis statum Ecclesiarum evertere, devotioni vestre auctoritate præsentium districti inhibemus ne Antibaren. eleto Palleum aliquatenus concedatis, nisi vobis constiterit ejus prædecessores fuisse Palleis decoratos, & dignitatem metropoliticam habuisse. Ne autem iter vestrum & legationis processus valeat aliquatenus impediri, eisdem personis, quibus per vos apostolica scripta dirigimus, sub eodem tenore literas nostras transmittimus, dempto capitulo quod faciebat de Pallo mentionem; ut utrasque penes vos habentes, vel primas vel secundas, prout opus fuerit, præsentetis. Datum Laterani VII. Kalend. Februarij.

ARCHIPIRESBYTERO  
& Canonici basilicæ principis Apof.

Epist. 336.  
Sam erga illos  
benevolentia &  
munificentiam  
declarat.

**D**erivata in nos ab Apostolorum principe per ipsius merita potestatis ecclesiastica plenitudo & apostolatus

successio, non ratione carnis per hominem legitimè procreata, sed per Deum ipsius gratia canonice facta, inter certas solicitudines cordis nostri & occupationes, quibus quotidie premimur, ut pote quibus solicitude universarum Ecclesiarum incumbit, ad honorandam ejusdem principis Apostolorum basilicam specialiter nos inducunt, ut cum Propheta psallamus: Domine, dilexi decorem domus tuae & locum habitationis glorie tuae. Sanè cùm Dominus noster in beato Petro, cui nos licet immeritos constituit successores, in spiritualibus prætulerit universis, & Ecclesiam in temporalibus etiam dilatarat, conveniens esse dignoscitur ut eidem beato Petro in vobis, immo Christo in eo qui nobis exhibuit universa, etsi modicum, tamen aliquid tribuere studeamus, affectum nostrum in effectum humiliter perducentes. Dignum est etenim ut quia variis pressi negotiis, dum circa lapsum religionis nobis propositum in melius reformatum intendimus, dum iustitiae consulumus oppressorum, dum singulorum consultationibus respondemus, dum ad reformatum inter discordantes pacis concordiam & pro diversis Ecclesiarum & provinciarum necessitatibus Legatos à latere nostro dirigimus, dum de terræ orientalis subventione pensamus, principis Apostolorum basilicam dignis obsequiis frequentare non possumus, aliquibus munusculis honoremus, nihil in hoc Apostolorum principi largientes de proprio, sed de suo potius rependentes. Verum cùm decor Ecclesiarum & earum thesaurus præsertim pendeat ex personis quæ ipsis deserviunt & Domini laudes horis intonant constitutis, psallentes ei tam ore quam corde; vos, qui ad honorem Apostolorum principis in ejus Ecclesia Domino jugiter deservitis, invocantes nomen ipsius, & voce consona modulantes laudes ejus, \* immo beatum Petrum in vobis tenui devotionis nostræ munusculo decrevimus honorare; sperantes quod qui minuta vidua pauperis acceptavit, nostra quoque humilitatis acceptabit affectum; non quid, sed ex quo potius tribuamus, attendens. Eapropter, dilecti in Domino filij, tam reditum, quem de signis plumbeis sive stagneis Apostolorum Petri & Pauli imaginem præferentibus, quibus eorum limina visitantes in augmentum propriæ de-

\*Deest heic alii  
quid.

Qq

votionis & testimonium itineris consummati seipso insigniunt, prædecessores nostri & nos ipsi percipere consuevimus, quām auctoritatem fundendi ea, vel quibus volueritis fusoribus concedendi, qui vobis tantū de ipsis respondeant, vobis & per vos canonicae vestrae præsentium auctoritate concedimus, & præsentis scripti pagina communimus. Ad hæc, sub pena excommunicationis districtius inhibemus ne quis ea præter assensum & concessionem vestram aliquatenus formare præsumat. Decernimus ergo &c. nostræ confirmationis, concessionis, & inhibitionis &c. Datum Laterani XV. Kal. Februarij.

## PHAREN. EPISCOPO.

*Epist. 537.*  
Ut cum aliquot  
Canonicis Ro-  
man, causam  
sue translatio-  
nis dicturus,  
veniat.

**M**irari cogimur & moveri quod (sicut à multis accepimus) tu regimen Ecclesiæ Iadertin. sine mandato fedis apostolicae irreverenter assumere præsumpsisti. Licet enim Clerici Ecclesiæ Iadertinae cum sua civitatis nuntiis ad nostram præsentiam accessissent, & nobis tam ex relatione ipsisorum quām literarum inspectione, quas tulerant, patuisset quod in Iadertin. Archiepiscopum electus fueras, immo verius postulatus; quia tamen etsi de modo postulationis possemus reddi per easdem literas certiores, de persona tua nobis non poterat fieri certa fides, nec examinare debebamus absentem, eis de consilio fratribus nostrorum decrevimus respondere ut aliqui de Canonicis ejusdem Ecclesiæ nostro se conspectui præsentarent; ut de studiis postulantum & de meritis postulati certiores effecti, securius in ipso negotio procedere valeremus. adjacentes, quod licet Episcoporum translatio ad solum pertineat Rom. Pontificem, quia tamen ad venerab. fratrem nostrum Patriarcham Graden. consecratio Iadertin. electi noscitur pertinere, cùm de beneplacito nostro procederet ut tibi Palaeum conferremus, & tu nobis juramentum fidelitatis præstares, te proculdubio faceremus dicto Patriarchæ Graden. professionem canonicam & debitam obedientiam exhibere. Sed ipsi nuntij tales noluerunt literas reportare. quibus reversis, sine mandato nostro Ecclesiæ Iadertinæ diceris regimen assumpsisse, & in ea tam temporalia quām spiritualia ministrare. Quia verò grave nimis est quod de tua præsumptione proponitur,

nec subitò volumus damnationis sententiam jaculari, fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus & districtè præcipimus quatenus infra duos menses post susceptionem præsentium cum competenti numero Canonicorum Ecclesiæ Iadertinæ iter arripiās ad sedem apostolicam veniēdi, redditurus nobis super excessu, quem prædiximus, rationem; ita quod si culpabilis inventus non fueris, cùm nobis de postulatione canonica & personæ tuæ idoneitate constiterit, translationis gratiam & usum Pallei recipere merearis; postmodum debitam nobis fidelitatem, & dicto Patriarchæ professionem canonicam, impensurus. Alioquin ex tunc te noveris ab officio pontificali suspensum, & nos Canonicis Iadertinæ Ecclesiæ dedisse firmiter in mandatis ut aliam personam idoneam canonice sibi eligant in pastorem. Datum Laterani III. Nonas Decembri.

*Scriptum est Iadertinis Canonicis in eundem ferè modum usque ad verbum suspensem. Quocirca universitati vestrae per apostolica scripta mandamus quatenus si prædictus Episcopus præceptum nostrum contempserit adimplere, vos aliam personam idoneam vobis eligatis canonice in pastorem. Datum ut suprà.*

DVCI ET POPVLO  
Venetorum.

**I**N favorem orientalis provinciæ, præter peccatorum veniam quam in suis illuc expensis proficisciētibus pollicemur, & apostolicae protectionis gratiam, quam eidem terræ subvenientibus indulgemus, illud etiam Lateranen. Concilij constitutum curavimus innovare, quod eos qui Sarracenis arma, ferrum, lignamina gallearum ministrare præsumperint, & in galeis & piraticis eorum navibus curam gubernatoris & regimen exercere, ab Ecclesiæ communione præcidi, & excommunicationi pro sua iniuitate subjectos rerum suarum per Principes seculi catholicos & Consules civitatum privatione multari, & capientium servos, si capti fuerint, fore decernit, ad exemplar felicis recordationis Gregorij Papæ prædecessoris nostri omnes illos excommunicationis sententiæ supposuiimus qui cum eis de cetero habere consortium vel per se vel per alios, navibus seu alio quoconque ingenio aliqua re-

*Vide infra lib.  
2. epig. 29. p.  
seq.*

*Epist. 538.*

*Epist. 539.*  
Ne Saraceni  
arma & fab-  
rium habenti-  
strent præcia  
mercatuz.

*Concil. Lat.  
sub diez. 14.*